

Die Urkunden Karls des Großen, 213

(C.) In nomine patris et filii et spiritus sancti. Carolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Langobardorum. Omnibus fidelibus nostris praesentibus et futuris notum sit, quia Bennit comes fidelis noster innotuit serenitati nostrae, eo quod pater illius Amalungus, dum ceteri Saxones pagenses illius contra nos infideliter egissent, praefatus Amalungus mallens fidem suam servare quam cum ceteris infidelibus perseverare, relinquens locum nativitatis suaue veniens ad nos et, dum in nostro esset obsequio, venit ad villam cuius est vocabulum Uuluisanger, quam tunc temporis Franci et Saxones inhabitare videbantur, cupiens ibi cum eis manere, sed minime potuit. Tunc pergens ad locum qui dicitur Uualdisbecchi inter Uuiseraa et Fuldaa, propriis sibi partem quendam de silva quae vocatur Bocchonia, quam moriens dereliquit filio suo Bennit. Qui ad nostram accedens clementiam postolavit celsitudini nostrae, ut nostrae auctoritatis preceptum circa eum confirmare deberemus, quatenus ipse et heredes illius perennis temporibus absque alicuius praeiudicio tenere et possidere quieto ordine deberent. Cuius petitionem denegare noluimus, sed ita nos illi concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo iubemus, ut nullus fidelium nostrorum praesentium scilicet et futurorum praefatum Bennit vel heredes illius de hoc proprio, quod in lingua eorum dicitur bivanc, expoliare aut inquietare ullo quoque tempore praesumatis, sed liceat, sicut diximus, eis per hoc nostrum praeceptum ipsam terram, quantumcumque pater illius propriis et ei in hereditate dimisit, omni tempore tenere atque possidere. Et ut haec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur, de anulo nostro subter sigillare iussimus.

(C.) Suavis advicem Ercanbaldi scripsi et (SR. NT.: Suavis scripsit). (SI. D.)

Data kal. decembris anno XI Christo propitio imperii nostri et XLIIII regni in Francia atque XXXVII in Italia, inductione V; actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter amen.